

PERCUSSORE.

autem negamus, his praecipue moti rationibus. 1. Quia in Scriptura S. eis communia tribuuntur nomina. Act. XX. 17. coll. v. 28. Tit. I. 5. coll. v. 7. 1. Pet. V. 1. 2. 3. 2. Quia ipsis communia officia tribuuntur, Act. XX. 28. coll. 1. Pet. V. 1. 2. 1. Tim. IV. 14. coll. Act. XIX. 6. 1. Tim. V. 22. & 2. Tim. I. 6. 3. Quia plures Episcopi in una ciuitate fuerunt, Act. XX. 17. Phil. I. 1. 4. Expressis verbis id testatur Hieronymus (a) *Idem est, inquit, Presbyter, qui Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent & diceretur in populis, ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego sum Cephae, communi Presbyterorum consilio Ecclesiae gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizauerat, suos putasset esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur ceteris, ad quem omnis Ecclesiae cura pertineret & schismatum semina tollerentur.* 5. sunt etiam inter ipsos Pontificios, qui sententiae nostrae suffragantur. Ex Catholicis, inquit Vasquez (b), *non pauci, neque infimae notae expresse affirmarunt & hac in parte cum praedictis haereticis conuenerunt, solum iure humano, non Diuino inter Episcopos & sacerdotes discrimen esse. Plura argumenta dabunt Auctores, qui ex professo hanc materiam pertractarunt: B. Lutherus (c) Ioh. Gerhardus (d), Andr. Prücknerus (e), Pet. Haberkornius (f), Christian. Dreierus (g), Ioach. Hildebrandus (h) Casp. Zieglerus (i) Matth. Zimmermann. (k), Ioh. Henr. Ottius (l), Ioh. Hoornbeek (m), Claudius Salmasius (n), Sam. Marefius (o) David Blondellus (p) Lamb. Danaeus. (q) Constat itaque quemlibet Ecclesiae Ministrum in S. Scriptura vocari Episcopum. Atque id clarissimis verbis indigitat Lutherus*

A3

rus

- (a) T. 9. in Tit. 1. & alibi. (b) Vid. Jo. Ad. Oslander Theol. Casual. de Minist. Eccl. p. 413. (c) in Opp. passim. (d) T. 5. LL. de Eccl. p. 389. T. 6. p. 14. 15. & in Confess. Cathol. P. 2. l. 2. c. 3. (e) P. 5. Vindic. Bibl. f. 112. sq. f. 651. 664. (f) Dec. Dissp. de Minist. Eccl. Dissp. 2. sqq. p. 38. sqq. (g) Pecul. Dissp. quae extat inter contro- uersias cum Pontificiis praecipuas p. 571. (h) in Exercit. de Episcopis (i) De Episcopis lib. 1. c. 3. (k) Comm. de Presbyteris f. V. Eccl. S. 14. p. 18. (l) in Exam. Ann. Baronii cent. 1. p. 340 248. & alibi (m) Summa Contr. Relig. lib. 11. p. 843. sqq. (n) in Tr. de Episcopis & Presbyt. contra Petauium (latens sub nomine Walo Messalinus. vid. Placcius in script. pseudon. f. 615. (o) c. 1. (p) in Apol. pro sententia Hieronymi (q) Opp. f. 455.